

prodidisse videmus in assignandâ ratione, ob quam reverti adeò cum Samuele exoptet. Dicit quippe *Peccavi: Sed NB honora nunc me coram Senioribus populi mei & coram Israel, & revertere mecum, ut adorem Dominum DEUM Tuum.* Nullam scilicet sibi sine Samuele salutem atqve incolumitatem pollicebatur. Hunc enim verborum jam recitatorum sensum esse docet *Job. Brentius in Homilia super Cap. XV. Libri prioris Samuel. p. 539.* inquit: *Honora me coram Senioribus populi mei & coram Israel: hoc est, quò ego miser me vertam nisi ad Te, ò Samuel! tantus enim omnium periculorum metus cepit me, ut, si Tu non manears mecum, & comiteris me, quemvis obvium vel gregarium militem exhorrescam & timeam, ne me gladio suo confodiat. Quare ne Tuo discessu Senatus vel vulgus Israelis violentas manus in me injiciant, ac me cuiusvis trucidandum exponant, obsecro Te, comitare me honoris gratiâ, quo Tuo comitatu ab illorum sevitiâ & crudelitate, quam ego jam Capiti meo imminere puto, tutus sim. Adeò scilicet, prout impii & præfracti peccatores consueverunt, tutissima quæq; extimescebat Saul, & ea propter in suam saltem tutelam assumebat Samuelem, non, quod eum testem suæ pœnitentiæ ex pectore contrito ortæ exoptarit.* Non alienus est ab hac explicatione *Rupertus in Apocal. c. II. Humilitatem, inquit, primam reliquit Saul, neq; pœnitentiam egit. Dixit quidem: peccavi, sed non humiliter dixit aut sensit. Addit enim: sed nunc honora me. Honorem ergò vel gloriam non Dei, sed suam istâ confessione mercari voluit, dicendo: Peccavi. Mirum proinde non est, quod Saul non regnum modò, sed Spiritum etiam Sanctum amiserit, utpote qui habitare non vult nisi in hominibus ejusmodi, qui de suis peccatis verè dolent, eorundemqve remissionem humili corde & cum firmo proposito novam deinceps vitam inchoandi à DEO perunt.*

perunt.